



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Stochmachus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

tur, summum Deum ex eo figmento silentio coli debere, quod & in Pisce, & in Crocodilo, & alibi ex Jamblichi monitis aperuimus. Et in pietatis Christianæ sacris preces pleræque sunt, quas ad Optimum Maximumque Deum nulla emissa voce dirigere jubemur. Super Harpocrate demum Plutarchus multa, quæ quorundam multorum commentariis vulgata sunt, ea non existimavi hic ad commemorandum necessaria. Illud unum minime præteribo, traditum ab Ægyptiis Oron & Harpocratem digito ad labia appresso coalitoque in lucem editos, eodemque modo & Heraiscum, magnæ apud eos celebritatis viros. Jam apud Romanos silentii nota fuit S, prima ejus nominis litera, quæ tricliniis, & diætarum foribus superponi consueverat, ut inde silentium convivis indiceretur, quando multa inter bibendum dici soleant licentius atque liberius, quæ palam efferre nefas. Unde Flaccus Torquato ad cœnam invitato cauturum se pollicetur, ne fidos inter amicos sit, qui dicta foras eliminat. Et convivas memores odio habendos esse, Græco, quod Martialis ponit, adagio monemur, *μηνονα ουνοστέλω* Procille. Vino enim libertas, unde Lyæi nomen, attributa apud Comicos nunquam invenias ad S literam, T quoque adjectam, ut Phormione Terentius, S T.

Si memorem compositionem.

DE MEDIO. CAP. XV.

Hinc Gallium Licher. Procopium, nimirum Sophistam in epistolis.

Medius à situ ipso nomen accepit, ab officio Medicus, à loquendi usu Infamis & impudicus. Sunt qui hunc non Hallum, sed Lichanon velint, *ἰατρὸν τὸ λέειχλον*, quod nos Lambere dicimus, ut ita exploratis uniuscujusque rei saporibus quid ad stomachum faciat quidve ab eo repudietur, intelligamus. Apud Procopium legimus, summo quid digito gustatum, cum tamen in digito nullo gustandi vis esse possit: intellexerit tamen ille, sublitera digiti extremitate ori aliquid adnotatum.

STOMACHUS. CAP. XVI.

Cur digitus præsertim medius stomachum significet.

Sane quidem Ægyptii sacerdotes, ut apud Horum habetur, ex digiti pictura stomachum hieroglyphice intelligebant: sed neque certus illic digitus, neque cur id fecerint, explicatur. Dici forte posset ab officio, quia solent, qui gravantur ex crapula, auxilium alleviationemque ab eo plurimum deprecari, quo scilicet in summum gutturis immisso, incitata nausea evomere compellantur, atque ita sibi incommodi ejus remedium comparant. Vel quia Medici stomachum totius corporis Regem appellant: quippe qui omnibus portiones suas certa quadam dimensione impartiri videatur. Digiti vero præcipuum hieroglyphicum est, mensuram præ se ferre: de qua multa paulo post loco suo. Ea vero à medio ad extremum unguis, & ad radicem suam, æqua dimensione divisus, alterutra pollicem & auricularem æquat, circino ad interiores cutis angulos appresso: mox frontem, nasum, aures, & pleræque alias humani corporis partes dimetitur, cujus quidem rei studium ad pictores, & statuarios delegabo. Neque me latet, esse qui Lichani nuncupationem in anularem transferant, sed ipsi sententiam suam probent. Quem nos Medium & Medicum dicimus, hic nimirum est, qui etiam impudicus.

INFAMIA. CAP. XVII.

De Diogene dictum. Perseus in Satyris. D. Laert in ejus Vita. A Martiale.

Exporrectus enim medius, reliquis in pugnum attractis, virilis pudendi species quædam ostenditur, eoque gestu infamiae est hieroglyphicum, de quo Satyricus:
— *Cum fortuna ipse minaci*
Mandaret laqueum, mediumque ostenderet unguem.
de Diogene dictum, qui hospitibus quibusdam Demosthenem videre, cognoscereque anxie quantantibus eum ostendit, medio digito, pro indice porrecto, ut scilicet illum impudicitiae aut ignominiae cuiuspiam notaret. Mitto illa nota nimis: *Et impudicum ostendit digitum.*